

*Doc. 12 (Scriptum est Hugoni
de Brahamunt militi familiari e
fidei etc. de fide prudentia...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 12 (Scriptum est Hugoni
de Brahamunt militi familiari e
fideli etc. de fide prudentia...)*

1278-02-06

Scriptum est Hugoni de Brahamunt militi familiari e fideli etc.

De fide prudentia et legalitate tua confisi te Magistrum omnium defensarum seu forestarum nostrarum Principatus Terre Laboris Aprutii Capitinate et Basilicate usque ad beneplacitum nostrum, amotis ab officio ipso Roberto de Alterchia et Roberto de Bosco Gileti Militibus familiaribus et fidelibus nostris duximus statuendum, fidelitati tue mandantes firmiter et expresse quatenus ad loca quelibet, in quibus infrascripte foreste seu defense consistunt, te personaliter conferens, omnes et singulas defensas seu forestas ipsas eas videlicet, que per forestarios nostros pro parte nostre Curie procurantur, facias diligenter et fideliter custodire per custodes ad ipsarum custodiam deputatos. De aliis vero, que per barones vel quoscumque alios detinentur, inquiras prout inferius denotatur. Cautum tamen esse te volumus quod custodes ipsi ad custodiam defensarum seu forestarum ipsarum ydonei et sufficientes existant. Quo si forte ipsorum aliqui insufficientes et minus ydonei fuerint, nomina et cognomina ipsorum et unde sunt ac in quarum defensarum seu forestarum Custodia deputati sint, nec non et quare sunt insufficientes, Celsitudini nostre sine mora et difficultate qualibet statim et distincte per tuas licteras debeas intimare, de substitutione aliorum magistrorum ydoneorum et sufficientium consilium debitum et oportunum remedium apponatur, de quo habebis celeriter sub sigillo pendenti nostre Celsitudinis licteras responsales. Ita quod Magistratus tui tempore non vastentur, set in statu debito salubriter conserventur, speratamque commodum ex ipsarum proventibus cum

indempnitate tamen et salubritate earum, iuxta statutum nostre Curie tuo studio et diligentia consequamur. Quorum Custodum numerum datum velud sufficientem, dudum Galeramo de Yriaco Regni Sicilie senescallo dilecto militi consiliario familiari et fideli nostro per predictum Robertum de Altricxia et Robertum de Bosco Giletti precessores tuos quem tibi scribimus inferius denotatum, nec non modum et quantitatem ipsorum custodum diligenter advertas, et si numerum ipsum superfluum forte videris expenseque ipse non fuerint moderate, provisione super hiis habita diligenti pro locorum et temporis qualitate superfluitatem ipsam ut expensis inutilibus non gravemur, Celsitudini nostre per tuas licteras debeas intimare et recipias similiter sub sigillo nostro pendenti nostras licteras responsales, nomina et cognomina singulorum Custodum in defensis et forestis ipsis singulis statutorum et quantitatem expensarum ipsarum excellentie nostre distincte et particulariter intimare procures, per licteras tuas et quaternum unum sub sigillo tuo hec omnia plenarie continentem. Et actente caveas et sub sacramento tuo tibi iniungimus ut tam licteras quam quaternum predictum, quam etiam nomina illorum forestariorum, qui male se gesserint, sicut tibi superius est distinctum, infra mensem unum numerandum a die quo hec omnia supradicta ad notitiam tuam pervenerint, nobis destinare procures. Insuper quia aliqui barones et alii forte tenent aliquas alias de defensis seu forestis nostris, pretendentes quod defense seu foreste ipse sunt de pertinenti is terrarum eis a nostra excellentia concessarum, volumus et mandamus quod diligenter inquiras, si barones ipsi ratione pertinentiarum ipsarum occupaverunt in parte vel in totum aliquas defensarum seu forestarum

ipsarum, que non sint de pertinentiis dictarum terrarum, aut si forte forestarii nostri manus eorum ad illicita extendentes ultra fines et terminos stabilitos, tempore quondam Friderici Imperatoris, et in forestis seu defensis aliquid occuparunt, sive de terris nostri demanii vel baronum ipsorum, et de Inquisitione ipsa tres quaternos consimiles fieri facias, quorum unum presentie nostre, alium dicto senescallo et tertium Magistris Rationalibus etc. destinabis tamen ad determinationem aliquam ipsius negotii seu revocationem aliquam occasione dicte Inquisitionis nullo modo procedas, donec recipias exinde a nostra celsitudine similiter sub sigillo nostro pendenti licteras responsales. Ceterum quia fidelium nostrorum relatione didicimus, quod defense seu foresto ipse non sunt per earum limites et terminos debitos limitate, tibi de cuius industria et fide confidimus, districte sub obtentu grafie nostre mandamus quatenus si predicti fines et limites per predictos precessores tuos terminati et limitati non sunt, tu de finibus et limitibus ipsis de tempore videlicet quondam Imperatoris Friderici, studiose fideliter et diligenter inquiras per ydoneos sufficientes et fideles viros rei conscios, per quos de hiis fidelius et melius poteris informari, et inquisitionem ipsam in quaternis quatuor consimilibus redigens, quorum uno penes te retento, alium Camere nostre, tertio dicto Senescallo et quartum dictis Magistris Rationalibus, destinare procures. Tamen ad determinationem aliquam, nisi habita primo responsione nostra sub sigillo nostro pendenti nullo modo procedas, defense autem seu foreste predicte cum numero predictorum custodum dato per predictos precessores tuos sunt hec videlicet. In Iustitiariatu Terre Laboris, defensa Capue cum foresterio equite uno et peditibus

duobus, defensa Teani cum foresteriis peditibus quatuor, defensa montis sancti de Suessa cum foresterio peditibus sex, defensa Yscla cum foresteriis peditibus duobus. Defensa Gualdi Neapolis et Averse cum foresteriis equitibus sex et peditibus sex, defensa Trium Montium de Archis cum uno foresterio equite et peditibus duobus, et subscripte defense seu foreste alie, quarum custodum numerum non distinxerunt precessores tui predicti, videlicet defensa Sore, defensa fundorum silva ducente et defensa cagatie. Item in Iustitiariatu principatus et terre beneventane defensa More cum uno foresterio Equite et subscripte defense seu foreste alie, quarum custodum numerum non dederunt precessores tui predicti, videlicet defensa de lacubante. Item in Basilicata defensa Lacuspensilis cum quatuor foresteriis equitibus et quatuor peditibus una cum castellano, defensa sancti Gervasii cum quatuor foresteriis equitibus et quatuor peditibus una cum castellano, et subscripte alie defense de quibus predicti precessores non expresserunt custodes, videlicet nemus Petreguallo et defensa Guasti in Bitalba. Item in Capitinata defensa Lucerie sarracenorum cum foresteriis equitibus quatuor, defensa salparum cum uno foresterio equite, defensa orte et dordone cum tribus foresteriis equitibus, et subscripte alie defense, de quibus precessores tui non expresserunt custodes videlicet, defensa Guardiole et defensa bivini, nichilominus si scire poteris quod alie defense nostre sint quam que superius sunt destincte, que defense sint et quibus locis et quibus limitibus limitantur, et quis fecit defensas ipsas si Imperator quondam Fridericus vel eius nati aut aliqui Comites seu barones fecerint defensas ipsas, Celsitudini nostre predictis senescallo et predictis Magistris Rationalibus significare procures. Et quia

nolumus te in dicto servitio expensis propriis laborare placet nobis ut donec in servitio ipso eris, retineas et habeas pro expensis tuis de pecunia proventuum predictarum defensarum et forestarum, que erit per manus tuas. Mense quolibet uncias auri Quntuor ponderis generalis et pro scribendis rationibus et quaternis pro servitiis et negotiis nostris dicti officii tui Notarium unum latinum sufficientem ydoneum et fidelem tecum retinere et habero procures, cui expensas ad rationem de tarenis auri uno dicti ponderis per diem de predicta pecunia debeas exhibere, donec tecum in servitio ipso erit et Apodixam ydoneam de hiis que dederis recipias ab eodem, forma vero statuti et capitula sunt hec videlicet, quod defensas et forestas ipsas diligenter et fideliter facias custodiri et quod puplico inhi-beas et facias inhiberi. Quod nullus in defensis et forestis ipsis venari aut versari ad fortiam vel ingenium absque licentia nostra quoquomodo presumat. Item quod nullus audeat incidere vel incidi facere in defensis et forestis ipsis sine licentia Curie ligna vel lignamina viridia sive sicca. Item quod nullus audeat immittere in forestis et defensis ipsis animalia domita et indomita cum Campanis vel sine Campanis sine licentia Curie pro sumendis pascuis vel glandibus seu qualibet alia occasione, et si intercipi contigerit homines et animalia ipsa in forestis et defensis eisdem contra prohibitionem eandem exigatur pro eis nomine pene pro qualibet vice quantitas pecunie infrascripte videlicet, pro quolibet bove vel vacca tarenus auri unus, pro quolibet equo vel Iumento tarenis auri duo, pro quolibet asino voi asipn. tarenis auri duo, pro qualibet ove vel capra grana anni duo, pro quolibet porco vel scrofa grana auri quatuor, pro quolibet bubalo vel bubala tarenus auri unus, pro quolibet

animali quod intercapietur in defensione cum Campana Tarenis auri septem et medius, pro quolibet homine vel muliere qui intercapietur in defensione ad colligendum glandes, tarenis auri duo. Item quando aliquis intercapietur in defensione venando capiatur et puniatur pro arbitrio Curie, et si capi non poterit significetur Curie per te nomen et cognomen ipsius. Item pro quolibet homine qui intercapietur in defensione incidendo ligna viridia, tarenis auri septem et medius, et si ligna sicca fuerint tarenis auri tres et grana quindecim. In affidandis vero animalibus circa defensam non servatur certa forma set sicut potes melius componere et concordare cum patronis volentibus affidari, iuxta qualitatem et quantitatem animalium affidandorum pro curie melioratione componas. Item inhibeas expresse et facias publice inibi quod nullus cuiuscunque conditionis existat tribus mensibus anni, videlicet mense Aprilis, Maii et Iunii extra defensas et forestas predictas etiam venari presumat ad capriolos cervillos et daynellos quandocumque vero aliquis invenietur ipso tempore contra prohibitionem eandem venando si baro fuerit vel miles qualibet vice solvat Curie pro pena uncias auri XXIII, si Burgensis uncias auri sedecim, si villanus uncias auri octo, et si non poterit easolvere arrestetur et detineatur in carcere per annum unum, et si infra predictum trimestre tempus aliquis inveniat vendere pelles caprioli cervilli et daynelli solvat Curie pro pena unciam auri unam, nisi ostenderit venditorem a quo pellem ipsam emerit, tunc enim ille qui sibi vendiderit pellem ipsam predictam unciam auri unam solvere Curie teneatur et emptor liberabitur a pena predicta. Et licet foreste seu defensione aliquae de predicto Iustitiariatu Aprutii in presentibus lictis minime distinguantur nec contineantur ibidem.

Volumus et mandamus quatenus, si scire poteris quod
alique defense seu foreste fuerint in aliquibus terris et
locis Iustitiariatus predicti tempore quondam Friderici
Imperatoris vel natorum eius, et quibus fuerunt limitibus
limitate, et quis fecit defensas easdem, Celsitudini nostre
dictis Magistris Rationalibus et Senescallo per licteras
tuas studeas intimare, ut eas faciamus in Registris nostre
Curie annotari.

Datum apud Bellumvidere die VI februarii VI ind.